Morbio 25 (1)

Forma iuramenti

Ego Hieronymus de Montrogacijs civis Mediolanensis perpetuus Commendatarius Prioratus beate Marie de Campomortuo ordinis sancti Augustini Mediolanensis dioc. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sanctaeque Romanae ecclesie et domino nro domino Clementi pp. vii ac eius successoribus canonice intrantibus non ero in consilio consensu tractatu vel facto ut vitam aut membrum perdant seu quod contra aliquem eorum personam vel in iporum aut ecclie eiusdem sive sedis aplicae auctoritatis honores privilegiorum iurium vel aplicorum statutorum ordinationum reservationum dispositionum mandatorum derogationem vel praeiudicium machinationes vel conspirationes fiant et si ac quotiens aliquid horum tractari sciero id pro posse ne fiat impediam et quantocius comode potero eidem domino nro vel alteri per quem ad ipsum noticiam pervenire possit significabo Consilium vero quod mihi per se aut Nuncios seu litteras creditum fuerit ad eorum damnum me sciente neminem prodam Ad retinendum et defendendum Papatum Romanum et reg alia sancti Petri contra omnem hominem adiutor eis ero Auctoritatem honores privilegia ac iura quantum in me fuerit potero adaugere et promovere statuta ordinationes reservationes dispositiones et mandata huius observare ac eis intendere curabo Legatos sedis eiusdem honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo Hereticos et scismaticos et qui aliqui ex domino nro successoribusque predictis rebelles fuerint pro viribus persequar et impugnabo Possessiones vero ad Prioratum meum pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu Conventus dicti Prioratus inconsulto Romano Pontifice Sic me deus adiuvet et hec sancta dei Evangelia

f. Franchonus
Ben. de Busero

Ap.

Sigillum

Morbeo 25 (1)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1869706749-19/fragment/page=0002